



19

DISSERTATIO INAVGURALIS MEDICA
DE
**GRANORVM KERMES
ET COCCIONELLÆ
CONVENTENTIA VIRIBVS ET VSV**

Quam
PRAESIDE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOQVENTIAE ANTIQVITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETROPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME
OBTINENDIS HONORIBVS

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A. d. Octobr. MDCCXLIII.

AUCTOR

**IO. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS
BERTHOLD**

ANNABERGENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

10. CHRISTOPHERUS THERESAES PERSTONI
T. 10. IOWANIS CHRISTIANI HISTORIE. A. 10. T. 10.
IO. CHRISTOPHERUS THERESAES PERSTONI
PERSTONI
DESTITUTIONIS HENRICI INAGARVITELI
CONFESSIO
10. IOWANIS CHRISTIANI HISTORIE. A. 10. T. 10.
DOMINI AC DILECTIONE SAV
HIEROGYMO UNIATICO
DIOCESES OF MARY BEATAE MARIAE PERPETUE
CONFESSIO
DOMINI AC DILECTIONE SAV
ET CORDIS INNOVATIONE
GRANGERETE FERMENTA
JOANNI RUDOLPHO
DIOCESES OF MARY BEATAE MARIAE PERPETUE
CONFESSIO
ET CORDIS INNOVATIONE
GRANGERETE FERMENTA

VIRO
PRÆNOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO ET DO-
CTISSIMO
DOMINO
IOANNI RVDOLPHO
BROCKMANNO

MEDICINAE DOCTORI FAMIGERATISSIMO
POLIATRO MERITISSIMO, ET IN CIRCVLQ DVCATVS MAGDE-
BVRGICI SALANO VT ET COMITATV MANSFEL-
Densi ET APVD PALATINOS HALENSES

PHYSICO EXCELLENTISSIMO
DOMINO AC PATRONO SVO

OB MVLTA BENEFICIA PERPETVA PIETATE
COLENDO

DISSERTATIONEM HANC INAVGVRALEM
SEQVE TOTVM

D. D. D.

IO. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS BERTHOLD
ANNABERGENSIS.

ALIO editio:
GRANORVM CLOMVS ET
COCDO MINO
BRGCIAMANO
JOANNI RADOPHO
MEDICINAE DOCTORI LAMPERTISIMO
POLITIQUE MATHURINUS ALMONEGARIA MAGISTER
THEATRI AVGVSTINI DILECTISSIMVS
THEATRICIS EXCELSIS INVENTOR
SVO PATRONO AG
HVNQ IAKOVA APEM

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

GRANORVM KERMES ET
COCCIONELLAE
CONVENTENTIA VIRIBVS ET VSV.

PRÆFAMEN.



Veritas temporis filia a priscis dicta est. Multa posterius tempus producit in lucem, quæ alias vel ignota fuerunt, vel male tradita & intellecta: aut pridem recte tradita a peritis, sed ab aliis, qui minus attenti rebus fuerant, male intellecta, aut praeue explicata, hominibus auctoritati magis intentis, quam veritati addictis, fraudi fuerant. Huius generis multa nostro fuerunt detecta saeculo, quod felicitatem suam iactare merito potest, quoniam nemo cogitur in priorum sententias, sed experientiaz, per multas & repetitas sensuum convictiones instructaz, honos suus in philosophia naturali relinquitur. Non dicam de aliis, quæ

A ad

PRÆFAMEN.

ad historiam naturæ nostrum sæculum felici
conatu attulit, sed manebo in illis, quæ me-
dicinæ cum illa sunt communia. Quam mul-
ta & mira de spermate ceti & ambra legun-
tur commenta, quorum nos hodie mileret,
edoctos de veris horum natalibus. Manet
nomen prioris, quanquam scimus non geni-
tale virus id esse, sed pinguedinem cerebro
magnorum piscium circumfusam & lixiuio
quodam decoctam: de altero nemini perlu-
deri posthæc poterit, quod sit excrementum
cetorum, aut ex fauis apum, rupibus mari-
nis innidulantium, originem habeat. Certi-
sime enim scimus, quod sit bituminis genus,
ex maris fundo emanans, inque altum subla-
tum, vbi a solis calore densatur & in solidi-
tatem aliquam cogitur, perinde ut alphaltum
in mari mortuo & pissaphaltum apud Apol-
loniam ad Epidamnum & olim & hodie pro-
ueniunt. Non minus diuersa olim fuerunt
iudicia de illis granis tinctoriis, quæ antiqui-
tas omnino quidem nouerat, Arabica autem
schola ad usus medicos transtulit: vt & de
coctionella seu cochenilia, quam sero tan-
dem ex nouo orbe accepimus & ad varios
usus, tam mechanicos quam medicos, adhibe-
mus.

PRÆFAMEN.

mus. Videas qui vtrumque existiment excrementum vegetabilis, super quo inuenitur: suere etiam qui pro fructu haberent: pauci animalem presapiam vtriusque odorati illam timidiuscule adseruerunt. Sed nostro a^{et}uo clarissime nouimus quod sint ouula animalium in tales nidos congesta, adeoque tam ad vires cognoscendas, quam ad securiorem vsum certius inueniendum adiuti sumus. Cogitanti igitur mihi de argumento inauguralis dissertationis, hoc visum tale fuit, quod & iucundam & utilem cognitionem adserre lectori possit, mihi autem occasionem præbere speciminis elaborandi & exhibendi, quod leges a me requirunt. Rogo benevolum lectorum velit a me dicta in optimam partem interpretari, suaque benignitate supplere, sicuti diligentia & intelligentia mea defecisse videantur.

§. I.

Quod nos hodie vocamus chermes vel kermes, id apud veteres Græcos dicebatur coccus baphica: vnde Latini appellarunt coccum infectoriam, granum tinctorium, coccum tintilem. Vix dubium est, quin vsum, quem mortales primum cognoverunt ad pannos tingendos, in nomine imponendo respexerint:

A 2 quemad-



DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

quemadmodum ipsum colorem inde tractum & pannis
communicatum appellauerunt coccineum, quod scilicet
a coquo profectus sit. Coccus autem denotat Græcis,
in genere quemuis fructum rotundum, baccam, granum:
deinde translatum est ad alia baccis familia. Sic anti-
quitus pilula vocabantur κοκκινα, quod nomen superest
in illis officinalibus, quæ per tautologiam vocantur pi-
lulae cocchiaæ. Est enim ipfissimum nomen Græcum, sed
ex lege Italica lingua pronunciandum, vbi ch vt k le-
gitur. Arabicum, aut certe ab Arabibus ad nos trans-
missum nomen est chermes, iterum ex Italorum more
efferendum: vnde aliqui malunt scribere kermes. At-
que ab eo est denominatio carmesini coloris, vt & il-
lius magisterii, quod ex granis tintoriis paratur & Car-
minum pictoribus dicitur.

§. II.

Plantam, cui grana tintoria innascuntur, vocat
PLINIVS hist. natur. lib. XVI. sect. 12. paruam ilicem a-
quifoliam: alii malunt ilicem coccigeram, aut coce-
glandiferam appellare. Fruticem potius esse quam pro-
ceram arborem, consentit. RAVVS histor. plant. lib.
XXV. cap. 6. testatur, quod non facile duos cubitos
proceritate excedat. Variis locis Europæ & Asiae pro-
uenit: & nec Africæ negata est. DIOSCORIDES lib.
IV. cap. 48. indicat nobis Hispaniam, Galatiam, Ar-
meniam, Asiam & Ciliciam. Addit PLINIVS l. c.
Africam, Pisidiam & Sardiniam. PAVSANIAS lib. X.
p. m. 89o. de Macedonia ilicis cocciferæ feracissima te-
stimonium perhibet, cui fidem facit diligens peregrina-
tor.

DE CONVEN-KERMES ET COCCIONELLA.

tor medicus D. EDWARD. BROWNE *itiner. pag. 145*.
Sed hodie maximus nrobus prouentus est ex Gallia Narbonensi, eiusque tractibus circa Monspelium, Nemaum & Auenionem: certe illa grana, quæ in officinis nostris sunt, ut & succus inde paratus, tam pro pharmacopoliis, quam pro tinctoribus, inde potissimum ad nos aduehantur.

§. III.

Ilicis botanicam descriptionem, acceptam a IOAN. BAVHINO, CLVSIO & RAIO paucis dabo, quoniam nostris terris non domestica est planta, quamquam viridariis & cultioribus hortis non adeo infrequens, ut non conspicere illam liceat. In multis ad quercum nostram accedit, nisi quod folia habet perpetua. Flos ipsi est imperfectus, amentaceus, quales iulos vocare solemus. Est ille muscosus, tenui polline perfusus; sed sterilis & deciduus. Alio autem loco fructus prouenit, glandi persimilis, quæ in hac coccifera specie maior est quam in vlla alia, calyce etiam asperiore: quod in hac tam pumila arbuscula merito mireris. Sed in hoc aliiquid variare regiones non est reticendum: quum CLVSIVS in Hispania minores viderit glandes, quam in Gallia Narbonensi notauerunt, qui ibi considerauerunt has arbusculas.

§. IIII.

Atque hæ glandes sunt veri fructus ilicis huius pumila cocciglandiferæ, quas etiam producit illis regionibus, quibus nulla grana tinctoria profert. Sunt enim

6 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

enim multæ , quibus hæc arbuscula crescit & fructus maturos producit , absque eo vt vllum in ea granum inficiendis lanis idoneum conspiciatur. Ex quo apparet quam multum a vero absuerint , qui nobis has coccus , hæc inquam grana rubro succo & ad inficiendum apto referta , pro fructu ilicis laudauerunt: nisi forte excusare eos velis , quod impropriæ loquuti fuerint , & fructum pro quoouis lucroso & utili prouentu posuerint. Fallor , an princeps & auctor huius sententiae fuit PAVSANIAS , qui c. l. magis , quam vt dissimulari error queat , diserte scribit : *fructus , qualis fere solani , erui magnitudine;* quod quidem aliorum trahi , quam ad grana innascentia , commode posse non videtur. Nam glandi nulla est cum solani baccis similitudo , eiusque magnitudo solani aut erui fructum satis conspicuo interuallo excedit.

§. V.

Sed age videamus quid alii veteres de his granis ad nos transmiserint. PLINIVS c. l. vbi multum de ilicis maioris dotibus & utilitatibus dissenserat , ita infit : *omnes tamen has eius dotes ilex solo prouocat (æquat, superat,) coco.* *Granum hoc , primoque ceu scabies fruticis , (paruæ aquifoliæ ilicis,): cufculum vocant.* Scilicet vt scabies , vbi hominem occupauit primum , paucas in superficie pustulas format , ex quibus mox longe lateque tota cutis repletur similibus exanthematis: sic ad imum fruticis scapum , vbi in ramos findi incipit , excrescit rotundum quid instar pisii , quod matrem vocant. Id accidit vere medio : sed in eun-

ineunte æstate æstuque aucto , minutissimorum vermiculorum & visum tantum non effugientium , cateruam effundunt , qui per totam plantam & vicinas sese diffundunt , moxque grana plurima noua producunt . Atque in hunc fere modum Plinianam sententiam exponit apud HARDVINVM citatus PETR. QVINQVERANVS *de laud. Prouinc. lib. II.* Videtur plane PLINII æuo nota fuisse scabiei pathologia animata , quam præcipue b. D. D. RIVINVS erudite ostendit , & autopisia facile comprobat . Discrepat igitur sententia Plinii a Pausania in eo , quod hic grana seu coccus habebat pro fructu arbusculæ : iste pro alieno & aduentitio , coque præternaturali , declarat , ceu morbo . Quamquam Pausanias insectum agnouit , quod in fructu gignatur & maturo grano exiliat . Quam autem quisque sententiam de vermiculo fouverit , eiusque ortu , neque iuuat neque vacat inquirere .

§. VI.

Propioribus temporibus magni & naturæ consultissimi viri omnem insectorum doctrinam accuratis rimari coeperunt , repudiataque pristina persuasione , de generatione æquiuoca , curiosius considerauerunt sexus differentias , ouula , ex illis natos vermiculos , eorum transfigurationem in chrysalidem , ex his denique prodeentes muscas seu papiliones , post coitum & conceptionem ouula deponentes ac tunc fere emorientes . Hæc quum multis exemplis vidissent : suspicati fuerunt pariter sic fieri in cocco baphica quacunque . Per multos gradus processit hoc scrutinium , multorumque

§ DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA.

rumque doctorum virorum operas & ingenia excuit. Nescio tamen an quisquam aut diligentius naturam indagauerit, aut felicius deprehenderit, excellensissimo viro D. D. IO. PHIL. BREYNIO, cui historiam naturalem cocci radicum tinctorii debemus, quæ, una cum cogitationibus posterioribus, subiuncta est aucto. physico-medic. A. N. C. volumini tertio. Quamquam enim institutum celeberr. viri potissimum fuit de coccis tinctoriis, quæ radicibus polygoni cocciferi in Polonia adnascuntur, agere: ita tamen in hoc negotio versatus fuit, ut quicquid de granis kermes & coccionella a doctissimis viris nuper scriptum & obseruatum fuit, sedulo inter se comparauerit, tandemque inuenierit inter coccum ilicis, & illam polygoni, realem diuerstatem non dari: quantum autem de cocco Americanorum seu Coccionella vel ex relationibus intelligi potuit, vel microscopis in iisdem macerando emollitis per sensus obseruari: id omne eovalere ut conuenientiam maximam comprobet.

§. VII.

Qui antea cocci ilicis naturam indagauerant, de animali origine tantum non omnes consentiebant; sed dissentiebant in quibusdam, quæ a physicis curiosis potius quæri debent & disputari, quam a medicis. Illustrissimus comes MARSILLIUS coccum ita generari putabat ut gallæ, quæ alias quercubus & ilicibus frequentes innascuntur. Scilicet muscam aliquam sui generis aculeo suo penetrare corticem arbusculæ ibique deponere ouula sua, quæ vere adultiori auge-
scant

DE CONVEN. KERMES ET COCCIONELLÆ. ¶

scant & iusto tempore in animalcula hexapoda mutentur: a quibus deinceps genus vterius, & celeriter quidem propagetur. Deposita autem hæc ouula auctumno præterito fuisse inde colligebat, quoniam rigida hymene prægressa parcus est prouentus coccorum, & messis exigua: quippe magna frigora passim enecauerunt inculi animalculi tenera rudimenta. Ea autem animalcula, quæ ex seruatis ouulis producta fuere, mox cessare a motu, & adhærescere ramulis arbusculæ, prorsus immota per aliquod tempus manere, augescere in magnitudinem tere pisi. Quo facto colliguntur, & ad solem exsiccantur: quod si vero eiumpant animalcula, enecantur & in massam coguntur, quæ exsiccata tinctoribus inseruit: vel succus inde exprimitur, qui addito saccharo inspissatus ad pharmacopolia defertur & basin præbet celebri confectioni alkermes. Quæ autem tunc non decerpta sunt grana, tempestive rumpuntur & innumera qua depo-nunt, ex quibus noua animalcula fiunt, nouæ messis spem præbentia. In fine tandem æstatis, vbi decurrent seriem metamorphosum suarum, in ultima animal alatum, generando aptum, prouenit, quod feminas init & genus propagat. Atque huius sententiaæ etiam esse D. de REAMVR ex GEOFFROY tractatu *de mater. medica tom. II. pag. 783.* intelligo: adscribit enim coccum ilicis gallo-infectis.

§. VIII.

Sed alii docti viri illam metamorphoseon seriem fieri negabant, coccum autem sibi concipiebant tamquam aliquod zoophytum, aut animal androgynum.

B

Nega-

10 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA.

Negabant etiam eadem animalcula alata fieri, sed muscas alatas, quæ inter illa reperiuntur, ex iisdem quidem coccis prodire putabant, sed esse prolem alius generis insecti, quod ouula sua in coecum depositisset. Enim uero illam sententiam, cui GARIDELLV & NISSOLIVS, docti & naturæ solertissimi indagatores Galli, fouerant, quamque celeberr. D. D. BREYNIVS primum adoptauerat; idem deinde repetitis experientiis prorsus deseruit, atque in emendatione prioris siti scripti professus est se clarissime deprehendisse in ultima vermis euolutione prodire animalcula quædam alata, quæ fermellas non alatas ineunt & imprægnant. Videatur itaque omnino rem ita se habere cum animalculo ex coccis prodeunte, quemadmodum in aliis quibusdam cognitum est. Sic formicæ & cicindelæ mares alas habent, quibus seminæ omnino destituuntur.

§. VIII.

Hæc de coco ilicis dicta fere omnia contenimus etiam coco radicum, quæ in Polonia tractibus arenosioribus, deinde etiam variis Borussia regionibus, ut & in Marchia Brandenburgica quibusdam partibus, aliisque Germaniae prouinciis inuenitur. Eam copiosius olim collectam fuisse & ad usus tinctorum potissimum requiritam, certum ex antiquis documentis redditum est: sed postquam copiofissime ad nos adserri coccionella coepit, mercatoresque illam abunde suppeditant: factum est ut parum hodie, etiam in Polonia, quæ plurimum olim prouentu eius lucrabatur, aestimari & requiri soleat, in ceteris etiam prouinciis fere negligatur, nisi

DE CONVEN. KERMES ET COCCIONELLÆ. 11

nisi aliquis curiosus aliquam in requirendo operam ipsi impendat. Præcipua differentia est, quod alretra coccus, quæ antiquitus Kermes nominata est, in ramis ilicis sæpius dictæ nascitur: hæc Polonica radicibus polygoni illius, quod a TOVRNEFORTIO alchimylla gramineo folio, maiore flore, designatum est, adhæretcat, sicutque terra ut plurimum abscondatur. Sunt grana sphærica diuersæ magnitudinis, a seminis papaueris scilicet ad piperas albi magnitudinem accendentia, laevia, coloris purpureo violacei, instar prunorum Hungaricorum, quorum plura paucioraue, sæpe quadraginta, vni plantæ apposita reperiuntur. Quoniam autem in usum suum officinæ, quod ego quidem norim, hanc coccum radicum non aduocant; et si periti rerum estimatores easdem vires illis ac coco ilicis attribuunt: plura de iis non dicam. Quod tanto iustius me facturum spero, quum exc. D. D. BREYNIVS se de huius cocci examine chemico & viu, tam tinctorio quam medico, actu- rum publice fidem dederit.

§. X.

Progredimur ad coccum Americanam, quam coc-
cionellam aut cochenillam vocari iam diximus. No-
men esse deminutiuum, ab Hispanis impositum, pridem
doctis viris usum fuit. Patriam præbent diuersæ noui
orbis, ab Americo Vesputio appellati, prouinciae. Præ-
cipue laudantur regnum Mexicanum atque Peruanum:
quorum ipsorum alias regiones aliis præstantiorem ac
vberiorem prouentum præbere legimus. Copiam &
abundantiam vel inde estimare licet, quod classe Hi-
spanorum

B 2

spanorum

DISSE^TATI^O IN AVGVRALIS MEDICA

Spanorum quotannis fere c^{lo} 10 centumpondia huius mercis adferuntur, quæ, quum minime ponderosa sit, oportet incredibilem esse quantitatem & numerum tam arborum, in quibus colliguntur, quam hominum, qui hac cultura & messe facienda occupantur, copiam. Scriptum autem legi, quod Hispani tantopere solliciti sint in celanda vera cultura eius, ut extero capitis sui periculum afferat, si loca, quibus coccionella colitur, adire & curiosius inspicere audeat. Ex quo factum est ut parum inter se conueniant, quæ diuersi auctores de hoc arguento scripsierunt: neque facile sperandum sit ut plenissime de eo edoceamur. Faciunt in eo, quod & alia gentes, quæ monopolia certarum mercium sibi vindicauerunt: ut Bataui, qui loca Indiæ orientalis, quæ nuce in moschatam & caryophyllos aromaticos proferunt, non minus accurata custodia exteris præcludunt, quam in Colchide olim vellus aureum seruabantur.

§. XI.

Neque tamen illa inuidia effici potuit, ut non aliqua ad nos peruenirent, ex quibus possimus intelligere quid sit coccionella, & vnde proueniatur. Planta, cui innascitur, magno auctorum consensu, est opuntia maior, quæ fructum fert sanguineum, seu ficus Indica maior fructu rubro. Perillultris SLOANE in *historia naturali lamaica* vocat opuntiam maximam, folio oblongo rotundo, maiore, spinulis obtusis, mollibus & innocentibus obsito, flore striis rubris variegato. Eam Americanis appellari tunam & nopal, itidem notum est. Sed alii auctores multa genera eiusdem plantæ recentent, & inter

inter hæc spinosissima quædam. Non improbabile est in tam amplis regionibus variare eiusdem generis plantam: sed eius culturam maxime frequentem esse, quæ minime spinis horret, & colligentium manus vulnerat. Qui plura de hoc nosse cupit adest pulchram dissertationem b. D. D. JO. CHRISTIANI LANGII *de cochinilla*, quæ operum eius *parte III.* pag. 427. obuiam se dabit. Non multus ero in describenda hac planta, horris cultioribus haud infremente. Illud tantum dicam, quod sit planta, quæ, post florem monopetalum profunde multifidum, profert fructum carnosum, edulem, pulpa rubicundissima, & seminibus in ea delitescentibus, refertum. Plurima sunt testimonia, quod hominum, eo fructu pastorum, vrina instar sanguinis tincta profluxerit, non sine terriculamento quorundam rei ignarorum, qui se mistu cruento correptos existimaverant.

§. XII.

In hac itaque planta sola colligitur coctionella, quæ in commercio expetitur, ac rubicundo & ad tingendum apto succo referta est. Sunt enim testimonia doctorum virorum, & hos inter PLVMIERII, botanici per Americam versatissimi, quibus constat variis vegetabilibus innasci aliquid coctionellæ simile, idque animalculum, quod opuntia nutritum præbet succum rubicundum, varias alias plantas depasci, sed nullibi in coctionellam veri nominis adolescere, nisi in vnica opuntia, quæ nobilem fructum rubro succo scatentem producit. Est autem coctionella, qualis a tinctoribus & pharmacopoliis expetitur, granum figuræ irregularis,

B 3

hinc

24 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

hinc conuexum, illinc compressum aut concavum, striis transuersis quasi rugosum, coloris ad purpureum inclinantis, sed quasi cinere extus conspersum esset, intus autem punicei.

§. XIII.

Quid autem sit coccionella, & qualem adsignare ipsi originem debeamus, de eo non minus, quam de granis Kermes, ambigitur acriterque disputatur. Fuerit hic etiam, qui fructum opuntiae dicent: quumque obiiceretur alium notabilis magnitudinis fructum, prægresso flore, enasci; rudimentum fructus esse & sieri coccionellam contenterunt, sive gemmam aut florem prorumpere incipientem. Atque haec sententia tanto firmius aliquibus inhæret, quoniam POMETVS, quem auctorem mercatores paulo curiosiores lectitare solent, illam propugnauit. Legimus ante paucos annos in nouis litterariis relatum, quod duo mercatores Angli magno deposito pignore certauerint, alter pro vegetabili coccionellæ prosapia, alter pro animali. Hic, quem esse existimo illum MELCHIOREM de RVVSCHER apud excell. Breynium pag. 10. & 27. laudatum, magno molimine ex ipsa cochenillæ patria sibi adferenda curavit testimonia & documenta authentica, quibus aduersarium conuinceret, eaque typis exprimenda tradidit: quo, exiguo licet & apud nos vix obuio scripto, origo eius animalis adstruitur.

§. XIV.

Qui igitur animalem originem asserunt & propagnant, non uno eodemque modo sententiam suam exprimunt.

promunt. Osi in plurimi, præsertim Angli, proximam infesto huic conuenientiam assignant cum scarabæo quodam, quem vocant vrtico-cantharum, aut scarabæum punctatum. Est animalculum exiguum, corpore penetrotondo, inferius piano, superitis conuexo, coloris rubelli, sanguine, cui punctula nigra interspersa sunt. Non rarum hoc apud nos visitur, vocantque vernacula lingua Herrgots-Kühlein. Hæc sententia se maxime approbavit laudato D. D. LANGIO: apud Anglos autem EDWARDVS TYSON, anatomicus aliunde notus, eandem propagauit, in *philosoph. transact. num. 176.* Ex quo factum est ut aliqui ea, quæ de conuenientia tantum dicta fuerant, longius extenderent, omninoque identitatem coccionellæ cum hoc scarabæolo propugnarent: quo nomine reprehenduntur a SAM. DALE in *pharmacolog. p. m. 391.* Nolui hæc omittere, quoniam eo res processit, vt scarabæi aut scarabæoli nomen pro cochenilla denotanda ab aliquibus fuerit adhibitum. Ceterum istos nostros scarabæos minimos non esse cochenillam veram, ex eo satis appetet, quoniam nulla eius innenitur species, quæ rubram tincturam suppeditare possit.

§. XV.

Omnium probabilissima & clarissima de hoc opuntiæ insecto tradidisse mihi videtur, quem iam supra laudi, D. GEOFFROY in *tract. de mat. med. pag. 792.* ex quo aliqua desumere liceat. Exeunte, inquit, anno, quum imbræ & frigora imminent, his animalculis nocentissima, opuntiæ folia, coccionellis nondum ultimum incrementi gradum adeptis onusta, decerpunt, quæ domi asseruant, donec hyems præterierit. Cum mitior tempestas

16 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

pestas rediit, & animalcula foetus suos iamiam exclusura sunt, Indi nidulos quosdam ex molli materia construant. In singulis quibusque nidis duodecim quatuordecimue insectula recondunt, nidosque opuntiis appendunt. Aliquot diebus elapsis coccionellæ foetus suos excludunt, qui paucis post diebus e nidis exeuntes arboribus sese applicant, per ramos vagantur, ac tandem sedem figunt, vbi adolescent & succum alibilem exsugant, & vbi a maribus foecundatæ feminæ nouam sobolam deponant. Triplex in anno, si tempestas opportuna sit, fit coccionella messis. Quum scilicet coccionellæ, quæ super arbores velut latæ fuerant, incrementum acceperint, tunc eas, priusquam suam edant progeniem, Indi penicillo exiguo ab arboribus molliter excutunt, nonnullis tamen parcendo, quæ ex se producenda noua sobole nouam messem suppeditent.

§. XVI.

Ita collectas in coribus aquæ feruenti immergunt, ut emoriantur: deinde vel ad solem vel in cibano, ut par est calefacto, storeis impositas exsiccant. Ex iis autem, quæ pro noua foetura relicta sunt, exit innumerable multitudine vermiculorum hexapodum, proboscide instrutorum, cuius ope succum exugendo aluntur & augentur. Corpus eorum ex annulis variis seu incisuris conformatum est. Vbi paucis diebus vagati sunt, sedem figunt, immobilesque hærent, & ouatam figuram accipiunt, moles autem pisi exiguæ crassitudinem æquat. Si maturitati suæ proximum conteras, succum fundit rubicundissimum instar sanguinis, totumque repletum videtur ouulis, similia animalcula viua exclusuris. Si eas, quæ

DE CONVEN. KERMES ET COCCIONELLA. 17

quæ pro foetura relicta fuerunt, iam exclusis animalculis examini subicias, nihil fere aliud quam exuvias vacuas, seu folliculos inanes, parumque utiles deprehendes. Ex quibus omnibus collectis, satis, ut puto, apparet coccinellarum origo animalis, & quod nihil vegetable, nisi quod in se attraxerunt & in suam naturam conuerterunt, hic exspectandum sit: aut si quid sibi circumdederunt de succo plantæ, quo contegerentur, quemadmodum in gallo conspicimus, quæ inclusum fouent insectum, & de natura adstrictoria queruum manifeste testantur.

§. XVII.

Sed & in genere nunc clarum puto esse, quod maxima sit conuenientia inter coccum tinctorium ilicis, illudque radicum, quod Polonia potissimum largitur, atque illud granum tinctorium Americanorum, quod opuntia nutrit & perficit: nisi quod coccum ilicis seu kermes, plus gallacei adstringentis habere videtur, quam coccionella: quod forte etiam de coco radicum iure existimes, quippe quod a polygono, planta valde adstringente, succum traxit. Atque hanc adstrictorian facultatem in coco ilicis bene declarat experimentum Marsillianum. Hic enim quum substantiam granorum kermes, ea quantitate qua gallæ ad atramentum conficiendum adhiberi solent, vitriolo martis miscuisset & debita quantitate aquæ infudisset, nigrum accepit color, quo ad scribendum ut illico poterat. Eandemque adstrictorian facultatem in siccatis granis, quæ officinæ asseruant, potissimum regnare debere apparet ex iis, quæ sepe laudatus D. GEOFFROY pag. 787. de modo exsiccandi nos edocet. Manifestum enim est hos tantum

C

esse

18. DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

esse folliculos semiuacuos, vermiculorum maxima parte egressa & in massam coacta, quam pastillos scarlatinos (pastel d' ecarlate) vocant, & tinctoribus diuidentur.

§. XVIII. smias oglio impallor

Hæc obseruatio non inutilis futura videtur ad cognoscendum, quantum inter usum granorum kermes in substantia, ut loqui solemus, & succi inde expressi ac ad conseruam, vti vocant, seu syrum parandum adhibiti, intersit. Potissima enim in puluere est virtus tonica seu adstrictoria, a terrestri succo ilicis, admodumque parum superest de substantia animali. Illa autem potissimum querenda est in ouulis, quæ grana ista includunt, & unde insecta prodeunt, ac succo ab illis presso. Quando illum parare volunt, grana recens collecta in mortario marmoreo, pilo ligneo tunduntur & agitando comminuantur. Postquam per aliquot horas simul in loco frigido steterunt, torculari subicitur materia & succus ex primitur. Qui postquam per aliquot horas quieuit, vt partes crassiores in fundo colligantur, clarum effunditur & a facibus separatur. Tum melioris conseruationis causa saccharo conditur succus; in quo non eundem omnes modum tenere solent. Aliqui æquales partes coniungunt & humiditatem superfluam lento calore expellunt. Alii, quod volatiliores particulas hoc pacto abigi putant, triplum sacchari succo addunt, vt syrups consistentiam sine longa coctione impetrant. Facile apparet quantum ratione virium hæc discrepancia sint. Sed posteriorem modum tenere nunc omnes, qui in Occitania syrum hunc parant & ad exterios mittunt, testis est

D.

DE CONVEN. KERMES ET COCCIONELLÆ 19

D. GEOFFROY, pag. 787. Atque hoc pacto simul ingratus sapor succi, qui amarus & acerbus est, corrigitur.

§. XVIII.

Qui analysi chemica in naturam huius succi inquisuerunt, naturae animalis clara documenta nobis dede-
runt. Illusterrimus comes MARSILLIUS duas libras granorum recentium retortæ indidit, ac per iustos gra-
dus ignis admoti elicuit initio phlegma clarum & insi-
pidum, quod mox exceptit rubedine aliqua tinctus
spiritus volatilis salinus, tandem oleum, cum multo sa-
le, qui se lateribus vitri recipientis large apposuit. O-
leoso a spiritu rite separato, hic omni dote referebat
spiritum, qualis a cornu cerui impetratur. Ex residuo
calcinato & debite tractato salis fixi drachmam dimidi-
am retulit. Quoniam autem proportionem salis volati-
lis non determinauit hic de naturali scientia meritissimus
vir; illam propius docebit experientia D. GEOFFROY,
qui ex libra una granorum recentium salis volatilis fisci
sex drachmas accepit; sed ex capite mortuo salis fixi ni-
hil se reportasse testatur. Quæ comes MARSILLIUS
ex sua analysi concludit & persuadere vult, melius futu-
rum esse, si syrupo repudiato spiritum ex granis kermes
destillatum aut sal volatile adhiberemus, id ipsius iudi-
cio permititur. Certe specificas vires tam a principio
roborante, quam illo salino stimulante, quod infectorum
proprium est, a destillato tali nemo cum recta ratione
exspectauerit.

§. XX.

Esse autem in granis kermes integris, nec optima

C 2

sui

20 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA

sui parte orbatis, principitum aliquod salinum stimulans & diureticum, quod tempestiu& prudenter adhibitum praeclare iuuare possit, & magnopere nocere, si non debita cautione ad vsulum vocetur, docet primo quidem analogia ceterorum insectorum, vt apum, millepedum, cantharidum, cicadarum, formicarum, in quibus illud majori vel minori gradu diu deprehensum est. Deinde autem proprius ad fidem faciendam inseruit obseruatio D. D. GARIDELLI in hist. plant. Gallo-Provinc. qui in hunc modum refert: ruricole, qui in locis, vbi kermes nascitur, vicinis instrueta habent columbaria, haud exiguum inde damnum contrahunt: quandoquidem pulli, granis illis saginati, frequenter intereunt: adultiores autem columbae, iisdem vescentes, difficulter evadunt beneficio diarrhoea&, qua& columbarii parietes colore rubro inficit. Si cum hac experientia conferamus testimonia FABRICII HILDANI & aliorum, qui obseruauerunt quod confectionis Alkermes vsus dysentericis semper noxius deprehensus fuerit, malumque exacerbauerit; cogitauerimusque quod in dysentericis exulcerans acrimonia salina adlit, quam istud sal animale, vt pote homogenea natura, corroborat & auget, facile conuincemur de praesentia istiusmodi salis acrimonia stimulante & motus solidorum intendente praediti.

§. XXI.

Atque sic intelligetur vbi securus & tempestiu& fit vsus vel granorum kermes, vel syrupi aut confectionis celeberrimae, quam alkermes officinæ vocant. Vbicunque enim motus iam sunt satis vehementes & ad suspectum finem tendere videntur, aut vbi acris & exulcerantis mate-

DE CONVEN. KERMES ET COCCIONELLÆ.

materiæ abunde multum adeſt: tutius ab iſtiuſmodi rebus abſtinemus, quam illis fidimus. Sic in dysenteriis & abortu metuendo, quantumcunque granorum, aut potius ſemiuaſuorū folli culorum terrea & adſtrictoria fa cultas in ſenſuſ incurrit, vix tamen ſecure ſatiſ dabitur, ob admixtum ſtimulans. Nam vbi natura iam prona & in aliquam partem inclinata eſt, vel leue momentuſ accedens potefit iam praefentem diſpoſitionem ad actum promouere. Pariter etiam in ægroto hæmorrhagia qua cunque debilitato & languente ſuſpectuſ eſſe debet, vel granorum vel ſyrupi aut confectioniſ uſuſ. Verendum eſt enim ne hæmorrhagia cito recrudescat. Efficacia e nimirum anallepтика, quam plerique a talibus exſpectant, tam quam ſpiritus, vt loquuntur, confor tantibus atque au gentibus, reuera non querenda eſt in eo, tamquam de ficientem ſanguinem & lympham nouo prouentu ditent, ſicque robur vitale augeant: ſed non aliter confor tant, niſi ad ſenſum, vt motuſ languentes inci tentur, vege tioresque reddantur. Res plane ſe ita habet, ac ſi quis equum, ob laſſitudinem contractam tardiorē, calcaribus admotis incitet, aut ſcutica impellat. Certe enim vi res nullas inde accepit: ſed avena & quiete refeſtus ſpon te decurret, vera analepſi recreatus, neque ſtimulum magnopere exſpectans.

ſ. XXII.

Scio abunde multas exſtare formuſas, quæ ad ab ortum praecauendum laudantur, vbi puluis granorum kermes accedit: ſed fere addita alia tonica & antispas modica vincunt virtutem extimulantem, quæ in iſtiſ folli culis exigua eſt. Nolim tamen talia fuadere vbi

C 3

iam

22 DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

iam molimina efficacia cognoscuntur. Vnicus & securus talium vsus erit, vbi reuera opus est excitandis motibus, & decursu humorum vitalium intendendo, vt in lipothymiis, debilitate & prostratione virium, in malignorum morborum principiis aut progressu, itemque in languoribus senum, vt &, modesto & cauto vsu, ad venerem excitandam. Neque minus commode locum habent, vbi menses subito terrore suppressi sunt, itemque vbi lochia promoueri debent, aut partus adiuuari vel secundina restitans ad exitum duci. Pariter etiam diureticam virtutem egregiam possident, vrinamque cient. Quibus plerisque casibus plus valet & vsui commodus est syrpus kermes, quam illa tantis laudibus per Arabes commendata confectione Alkermes, quæ, cum aliis reprehensione non vacantibus, tum ob ambram & moschum accedentes, nec omni sexui, nec omni morbo & statui ægrotantium conuenit. Nam vaporosa illa organum inducunt, fluidaque expandunt, quod kermes per se non facit, quippe sale suo animali solida tantum extimulans. Quod saltem in nostris regionibus ita se habere, vt vix centesimus confectionem, vt loquimur, completam in morbis bene ferat, experiendo cognoscimus. Sed senibus & phlegmaticis, nulla febre laborantibus, magis est tolerabilis, & certis casibus proficua.

§. XXIII.

Pauca sunt præparata officinalia, præter notissimam confectionem Alkermes, aut forte nulla vbique per patram nostram recepta. Magistrales medicinæ & formulæ earum passim laudantur. Has inter aliquam vidi in plurimum manibus versari, & aliquibus multum celebrari
ad

ad memoriam confortandam: de qua tamen valde vereor, vt, non dicam opera pretium faciat, sed omnibus sati secure commendari possit. Paratur scilicet essentia granorum kermes spiritu aliquo cephalico, vt melissæ, eiusque vnciis quatuor extracti xylaoles drachma additur dimidia. Potest addi ad gratiam syrups florum tunicæ, vel cinnamomi. Enimuero memoriam non iuuat concitatus motus sanguinis per cerebrum, quem non efficere talis medicina non potest: verendumque est vt continuato vsu potius debilitet memoriam, quam emendet firmoremque præstet. Memini hominis, qui vsque ad trigesimum annum nec vinum nec cerevisiam biberat, solo lactis & aquæ potu contenti, memoriaque excellenti gaudentis toto illo tempore, vt omnibus esset admirabilis. Hic quum se non sine multa molestia tandem ad potus antea sibi insolitos contulisset, mox sentire coepit quod minus valeret reminiscendo, vt mature desuescere nouo vitæ generi mallet, quam naturæ beneficium omnino dilapidare. De alio accepi illustri iuuene, qui crebro confectionis Al-kermes, additorumque aliorum aphrodisiacorum, vsu profus satius factus fuit, cuius a morte se eti cerebrum tam molle & flavidum erat, vt manibus tractari non posset, sed cochleari eximendum esset.

§. XXIII.

Cochenillæ vsus viresque cum his fere conueniunt; nisi quod adstrictoria facultas minus est in illa notabilis, ac principium animale stimulans salinum potentius etiam quam coccus ilicis habere videtur. Nam quum coccus ilicis, ex euntibus vermiculis, folliculum vacuum rotundum relinquat, qui gallacei concrementi naturam æmulatur; tale quid

24 DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA.

quid de coccionella non æque appetat aut probari potest: quippe cuius exuix, ab excentibus vermiculis superstites, animales reliquias apertius produnt rugis & incisuris suis, ventrem infecti animalis satis aperte prodentibus. Vnde diligentissimus insectorum indagator D. REAVMVR, qui coccum baphicam ilicis aperte declarabat gallo-insectum, cochenillam nec aperte adiungere illis ausus est, neque omnino se iungere; sed pro illis excogitauit nouam classem pro-gallo-insectorum. Ad strictoriam igitur terrream qualitatem minus, quam in coco ilicis, in cochenilla deprehendimus: sed stimulans salinum principium, insectis proprium, certe non minus, si non maius & potentius, in illa oportet agnoscere. Qui cochenillam chemico examini permiserunt, testes nobis sunt quod prorsus eadem largiatur producta, & singulorum fere eandem proportionem, qua a destillatione cornu cerui, aut insectorum aliorum, v. g. milipedum, apum impetrari solent: quod in genere animali prosapiam testatur, & in specie conuenientiam cum coco ilicis.

§. XXV.

Quemadmodum cochenilla v̄sum frequentissimum apud tinctorum habet, & coccum, tam ilicis, quam radicum, fere antiquauit & aboleuit: ita quoque in medicinam iam multis locis penetrauit, vt ad parandam celebrem confectionem alkermes adhibeatur. In quo forte nihil erit, quod censuram v̄lo modo mereatur: nisi reprehendere etiam velimus quod vino Maluatico aliud quodcunque nobile & generosum dulce in officinis substituitur, postquam ex illo promontorio Maluazzo, vnde id vinum nomen habebat,

bebat, nullum affertur, quoniam, a quo tempore
Turci dominio suo illam regionem vindicauerunt, nul-
lae ibi sunt vindemiae.

§. XXVI.

Præparatum officinale vnicum noui, quamquam
apud nos non æque, ac apud Anglos, celebre & rece-
ptum. Laudatur frequenter in MARTINI LISTERI,
FREINDII, aliorumque practicorum Britannorum scri-
ptis, sub titulo *tinctura sacra*, itemque *tinctura hieræ*.
Parandi rationem pharmacopœa Bateana tales docet:
Recipe specierum hieræ simplic. vnc. i. coccionellæ scrupu-
lum i. vini canariensis libras II. cum dimidia, M. &
digere sape agitando ad dies aliquor, deinde filtra &
serua ad usum. Datur in ventriculi dolore, cachexia
& hydrope incipiente, ructibus, & ad vermes enecan-
dos. Multum etiam commendatur ad febrium inter-
mittentium curationem peragendam. Exhibitentur vni-
cæ duæ, tres ad quatuor. Manifestum est quod me-
dicamentum plus ab aloë quam coccionella trahat. Est
tamen satis blandum, & ventriculo minime ingratum,
simile fere elixirio viscerali beati HOFFMANNI no-
stri, quo & ipse, & qui ductum eius sequuntur, magnum
subinde fecerunt operæ pretium.

§. XXVII.

Ceterum nolo me adiungere illis, qui magnifi-
centius omnia iactant, & tam coccus ilicis, quam coc-
cionellam, magnis cordialibus, alexipharmacisque in-
terserunt, & medelam hinc febribus malignis, pete-
chialibus, quin ipsi pestilentia pollicentur. Si quis
fuerit qui magnos pollicitationum tantarum hiatus pra-
dictis

D

prædictis

Eticis documentis impleuerit, ei gratulabor, meque
ipsi, si artem docere velit, cupidum discipulum adiungam.
Experientiae enim semper & vbique assurgere
cuius honorificum non minus quam fructuosum existimo.

§. XXVIII.

Tandem etiam attingere deset amplissimum v-
sum, quem a coccis hisce tinctoriis accipiunt artifex,
qui pannos & sericum elegantioribus coloribus imbue-
re callent: ut & pictores, qui inde pretiosum illud
magisterium, quod carminum vocatur, imperant, ut
& alia magis vel minus elegantia pigmentorum gene-
ra, quæ laccarum nomine expertuntur. Enimuero
quum hæc partim libr̃is ad tinctoriam artem pertinen-
tibus clare doceantur, partim celebentur & in arcanis
habeantur: de prioribus legendos illos auctores com-
mendo; de arcanis mihiique non cognitis tacere, quam
conjecturas aut imperfectam relationem suppeditare
malo. Hæc itaque nunc de hoc argumen-
to dicta

S V F F I C I A N T.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
S. P. D.
PRAESES.

Non solum hominum id fatum est, ut non omnibus placeant, sed
laudentur ab his, culpentur ab aliis: verum etiam medica-
menta eandem fortunam experientur. Nolo TIBI reuocare
in memoriam certamina, que propter antimonium gesta fuerunt,
utique acerrima: neque chinclinam, ponum illud eridos hodiernum,

158-

tangam. Sufficit mihi argumentum dissertationis TVÆ, quod tantum abest ut omnium consensum & approbationem consequeturum je sperare possit, ut potius futuri sint, qui, grana kermes ac coccionella, semper virofa, cum PAVL. AMMANNO, habentes, a praxi circumspecta excludere & proscribere velint: aut qui cum TH. BAR. THOLINO, carere nos illis, indeque perfecto syrupo posse contendent, duns rob sambucinum & rubi idem eadem omnia, que ab ipsis exspectantur, praestare possint. Sed quod sit virosum aliquid & novere possit, non sufficit ad condemnandum: ubi enim virus, ibi virtus: & quæ nocere non possunt ullo modo, eadem certe neque præclare inuabunt vllibi. Rubum idem & sambucum laudo; sed non praestant ea, quæ kermes & coccionella stimulante suo principio efficiunt. Sed nolobis immorari. Gratulor TVIS honoribus, qui ut fortunati felicesque sint, & ut diu flreas rigeasque, ex animo TIBI appreco. Scripti die XX. Octobris cl. Icc XXXXIII.

VIRO NOBILISSIMO
C A N D I D A T O
DOCTISSIMO
S. P. D.
J. R. BROCKMANN.
MED. DOCT. ET PHYSICUS CIVIT.
ET PROVINC.

Quum per quinquennium & quod excurrit, CANDIDATE DOCTISSIME, singulare studium erga me TVVM, animique TVI satis discende cupidi, ac morigeri, sinceritatem, probe intellexerim, & adhuc intelligam; adeo, ut nequeam mihi sinistri quidquam de mutato animo persuadere: non possum non sperare, talen-
TE futurum, qualiter cognitum antea indicavi. Id eo
magis,

magis credere licet, quo insigniores in arte medica fecisti progressus, quum ductu meo, nosocomio, aliisque morbo laborantibus, ut & aliis tam publicis, quam privatis actibus interesse, & hac ratione unum ad praeceos studium appellere posses. Spes me quoque non defellit, quod publicum eruditionis TVAE specimen, quod iam edis, testatur. Quamvis enim, urgente necessitate, temporis angustia premereris, tamen semper TIBI cure cordique fuit, ut circumscriptam studii academicci rationem, intensissimo ardore studia tractandi, compensares; sic, ut iam iam omnium vota expiere, summosque in medicina honores possis capessere. Quo felicius vero TIBI omnia ex voto processerunt, eo impensis omnino possum gaudere, TIBI que letabundus gratulari, tum de ipsis honoribus doctoralibus, tum preprimitis de matrimonia lectissima paullo post, Deo, omnibusque applaudentibus, ineundo. Accipias igitur, CANDIDATE DOCTISSIME, publicum hocc testimonium de TVA probitate perquam notissima, animoque in TE bono TVI amantissimi, cui satis notum est, animi TVI candorem, vitæque integritatem, longe alia postulare; non deero tamen illa in re expectationis saltem pro virili. Sed ut ultimo loco officio fungar, nihil magis in votis habeo, quam ut summus rerum arbitrus, integra valetudine, rebusque prospere, ceu haclenus succendentibus conaminibus TVIS adsit, TEque carissimamque tuam Familiam cumuler, omnibus beneficiorum generibus. Faxit idem ille, ut illo adiuuante, omnibus agrotantibus exceptatissimum fructum, opera TVA atque consilio possis conferre siveque ea, quæ fideliter addidicisti, impendere. Quod si sit, manus gaudent percepit, is, qui unicum abs TE rogat, ut pristinum favorem sibi exhibatum serues inconcussum. Vale.

Hala Magdeburgica die VII. Octobris clq. Iccc xliii.





Sehrter, werther Freund! Ein Kenner
Deiner Tugend,
Ein Kenner Deines Fleiß's und Arbeit in der
Jugend,
Der Dir den ersten Schritt in Panens Werkstatt
wies,
Der, da Du fliehen woltst, Dich treulich bleiben
hieß,
Der stets Dein Wohl gewünscht, gesucht; Du wirst
es wissen,
Der lässt Dich entfernt in diesen Zeilen grüßen.
Und da Dein munterer Fuß zum Ehren-Tempel geht,
Dort wo Minerva wohnt und Dir zur Seiten steht:
So soll mein froher Sinn Dich mit dahin begleiten,
Und sehen wie Du wirst beherzt und glücklich streiten.
Gehst Du als Doctor nun mit Ruhm bekrönt nach
Haus,
So folgt mein froher Sinn bis zu den Abend-
Schmaus,
X
Bewun-

Bewundert da vor sich des Schicksahls Wunder-
Spuhren,
Und wünschet tausend Glück zu allen Deinen Euren,
Dein Wohl vermehre sich. Wenn es wird Hoch-
zeit seyn,
Sprech ich, iſſt Wetter gut, vielleicht denn ſelbst
wohl ein.

George Reinhold Brockmann,
Apothecker in Naumburg.

Laus artem sequitur: comitatur palma triumphos!
Hinc & AMICE cupis recte: & utrumque capis.
Gratulor has palmas. Palmas has sentiat olim
Mors illa, atque herbam porrigat ipsa TIBI.

Ad plaudens scribebat

Joannes Fridericus Wetzel,
S. S. Theol. Stud.

Gieh Freund! so meynt es doch mit uns die Kunſt
recht gut,
Da giebt ſie Dir jezo den ſchönen Doctor-Hut,
Freund! drück ihn dreift aufs Haupt. Er muß zum
Trost der Schwachen
Da er Dir Freyheit giebt den Tod zum Selaven ma-
chen.

Christoph Leberecht Wetzel,
aus Eisleben, S. S. Theol. Stud.

Ge-

Geschicklichkeit und Lust, Fleiß, treuer Unterricht
Hat Dich in kurzer Zeit, das selten nur geschickt,
Obgleich mit etwas Schweiß, Geehrter Freund, er-
hoben,
Jetzt krönt der Doctor-Hut, nach überstandnen Pro-
ben,

Die Arbeit, die bisher Dir manche Nacht verdarb,
In der Dein reger Geist sich Wissenschaft erwarb.
Und da Dir künftig hin die Curen wohl gelingen,
So muß Galenus auch die schönsten Thaler bringen:
Ich wünsche Glück darzu! Der Himmel seegne Dich!
Denn gehts Dir, Freunde, wohl, so glaube, freu
ich mich.

Doch da Dein Fuß sich will in andre Gränzen lenken,
Sprich: Wirst Du dann und wann an mich zurücke
denken?

J. W. D. Coschwitz,
Halens. Med. Candid. Oppon.

Go ists gewiß, so wilst Du fort?
Gefället Dir nicht dieser Ort?
Ist Dir Hygaa so zu wider?
Erfreuen Dich nicht ihre Glieder?
Die für der Göttin Ehre streiten,
Und so wie Du, und Du wie sie
Mit Schweiß und unverdroßner Müh,
Auch nach und nach zur Würde schreiten.

Nein! sprichst Du, es ist nunmehr Zeit,
Ich nehme Ring und Hut und Kleid,

(2

Und

Und eile, den empfangnen Seegen,
Mit Bucher wieder anzulegen.
Ja eile nur, mein Freund, ich rathet,
Mich dücket es erwartet Dich
Die, die Dich lieben so wie sich,
Damit Verweilung Dir nicht schade.

Iwar ist Dein Abschied so betrübt,
Als mir Dein Umgang war beliebt,
Es kränket mich Dein baldig scheiden;
Doch muss ich Dich persönlich meiden,
So will ich mir ein Denkmahl setzen,
Doch nicht in Eisen oder Stein,
Dein Bild soll in dem Herzen seyn,
Das soll nicht Zeit noch Rost verleßen.

Erlaube demnach daß ich mag,
An diesem Dir erwünschten Tag,
Ein Freund- und Freundschafts Opfer bringen;
Der Himmel lasse Dirs gelingen,
Und kröne die erhaltenen Ehren,
Er gebe unsren Doctor Ruh,
Glück, und was sonst erwünscht darzu,
So kan nichts unsre Freundschaft stöhren.

Johann Andreas Stange,

Halens. Med. Cult. Oppon.

Bamroff, Kohlen-Staub, verhaster Rauch,
Beschmutzte Finger, Brand und Feuer;

Er.

Erhaltne Schlacken ohne Brauch,
Sind uns nicht selten, dennoch theuer.
Ein Kolbe bricht, der andre springt,
Ein Tiegel wird entzwey geschnissen,
Und was man endlich noch erzwingt,
Wird hie bald dort herum gerissen.

Offt überfällt uns Kält und Grauß,
Wenn man erstarrte Glieder fühlet.
Offt bricht uns eine Ohnmacht aus,
Wenn man in faulen Körpern wühlet,
Die Mäuslein beugt, die Flechzen zieht,
Gedärme räumt, die Aldern sprühet,
Die Nerven zeigt, sich sehr bemüht,
Und dennoch offt vergebens schwizet.

Bald wird man bey den Lesen matt,
Die Feder fällt aus den Händen.
Die Sinne sind der Dienste satt,
Bey solchen Krafft und Muth verschwenden.
Was ist der Lohn von diesen Schweiß,
Von den mit Müh erlangten Wissen?
Ein leerer Tand, ein leerer Preis,
Damit wir uns begnügen müssen.

Doch halt! nur nicht zu viel geklagt,
Herr Berthold dienet zum Erempel,
Er steigt aufs Glücke frisch gewagt,
Mit Ruhm in jenen Ehren Tempel.
Der Ehre folgt Galenus-Sold,
Drum wünsch ich Dir dazu viel Glücke,

X 3

Und

Und denke, wenn Dir alles hold,
Auf mich, als Deinen Freund zurücke.

Johann Jacob Weber,
Medic. Candid.

Die Weisheit denkt auch nun an Dich,
Sie liebt Dich unveränderlich,
Und will Dich jetzt nach Fleiß und Wachen,
Geschätzter Freund, zum Doctor machen.

So nimm was sie Dir heute reicht,
Ich wünsche Glück, sie bleibt geneigt,
So wird Dein emsiges Bemühen,
Auch bald noch etwas nach sich ziehen.

Diß etwas, ich muß heimlich thun,
Läßt meine Pflicht nicht länger ruhn;
Drum will sie aus den Winckel steigen,
Und auch kein einzig Wort verschweigen.

Sie hebt ihr Lied auch würcklich an,
Doch weil sie es nicht vollkommen kan,
So nimmt sie allen Stoff der Lieder,
Und bringt ihn ungekünstelt wieder.

Doch gänzlich stille seyn, ist auch
Fast wider aller Freunde Brauch,
Drum wünscht sie Dir beliebt Vergnügen,
Das andre wird der Himmel fügen.

Christian Friederich Truppel,

aus Halle.
der Gottesgelahrheit Beschlüssener.

Ich

Ich bin zwar jetzt nicht gegenwärtig,
Jetzt, da der ganze Doctor fertig,
Doch freu ich mich im Geist daben,
Ich wünsche so viel Glück und Seegen,
Als Tropfen in dem stärksten Regen.
Der Wunsch zeigt sattsam an, daß ich Dein Freund
noch sey.

J. D. Coschwitz.

Med. Cultor Halens.

Go recht, geehrter Freund! nimm was Dir zu
gedacht,
Die Vorsicht ist Dir hold, so muß es besser gehen,
Sie schließt ihr Auge nie, indem sie für Dich
wacht,
Muß sie auch Dein Bemühn zu unsrer Lust er-
höhen.
Sie hat es jetzt gethan, das zeigt der Doctor-
Huth,
Was Wunder, wenn darum, zu unsrer größten
Freude,
Auch unser teutscher Rest nicht unempfindlich
thut,
Du hast auch wohl verdient, wir wissen alle
beide:

Drum

Drum bleibe Dein Bemühn, und Deine Kunst
nicht leer,
Wobey der Hächste Dich mit Wohlseyn über-
schütte;
Und fehlt Dir denn noch was, so wünschen
wir noch mehr,
Mit Luthers Auslegung, die ganze vierte Bitte.

Johann Daniel } Brockmann.
Heinrich David }

aus Halle im Magdeburgischen
L. A. Cult.



00 A 6326 (1)

VD 18

ULB Halle
004 103 416

3



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICA
DE
**GRANORVM KERMES
ET COCCIONELLÆ
CONVENTENTIA VIRIBVS ET VSV**

QVAM
PRAESENTE
D. IOANNE HENRICO SCHVLZE
MEDICINAE ELOVENTIAE ANTIQUITATVM ET
PHILOSOPHIAE PROFESSORE PUBLICO
ORDINARIO
ACADEMIARVM IMPERIALIVM NATVRAE CVRIOSORVM
ET PETROPOLITANAЕ VT ET REGIAE SCIENTIA-
RVM SOCIETATIS BEROLINENSIS
SODALE

PRO
GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA LEGITIME
OBTINENDIS HONORIBVS

PVELICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

A. d. Octobr. MDCCXLIII.

AVCTOR

**IO. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS
BERTHOLD**

ANNABERGENSIS.

*HALAE MAGDEBURGICAE,
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.*

